

De missa ut vero ac proprio sacrificio secundum S. Thomam

Autor(en): **Kunii, Jordanus**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Freiburger Zeitschrift für Philosophie und Theologie = Revue philosophique et théologique de Fribourg = Rivista filosofica e teologica di Friburgo = Review of philosophy and theology of Fribourg**

Band (Jahr): **7 (1960)**

PDF erstellt am: **23.06.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-761465>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

JORDANUS KUNIČIĆ OP

De missa ut vero ac proprio sacrificio secundum S. Thomam

Ecclesiae doctrinam recolamus : Missa est divinum, singulare prorsus, tamen verum ac proprium sacrificium visibile, in ultima Coena a Christo Domino institutum, prout ex Evangelio aperte constat. In hoc sacrificio Missae repraesentatur et applicatur sacrificium Christi cruento in Cruce oblatum. In sacrificio Missae est quidem ipse Christus hostia, at alia ratione ac in Cruce oblata, incruento nempe modo. Offerens principalis est ipse pariter Christus, sed sacerdotum ministerio oblatus¹.

Quaestio iam a saeculis agitur : qua ratione formali ac essentiali Missa sacrificium evadit ? Quodnam est elementum primum ac formale, quo sacramentum Eucharisticum realiter fit et est sacrificium ? Quid est, quod rationem immolationis incruentae sacrificio Missae confert ? Et cum communis doctrina existat essentiam sacrificii Missae in consecratione sitam esse, quaeri potest qua ratione consecratio evadat sacrificativa et immolativa ? Existit procul dubio aliquid, quod consecrationem proprie constituit ut sacrificativam et immolativam.

Quaerentes essentiam seu constitutum formale, quaerimus id, quo posito alia supervenire intelliguntur, quo remoto, caetera removeri oportet. Id « formale » et « essenziale » est, quod perficit consecrationem in ratione sacrificali et immolativa, unde de aliis rationibus iudicandum secundum principium : « Quidquid consequitur ad esse perfectum, non est constitutum ipsius rei »². Id quod consecrationem constituit ut sacrificativam et immolativam primum in ea concipitur, eam ab aliis

¹ Denz. Index systemat., XII h.

² S. THOMAS, I Sent. dist. 28, q. 1, a. 2.

actibus secernit, radix est aliarum proprietatum, quo praesente alia valorem habent, quo absente alia propriam rationem sacrificii ac immolationis amittunt.

Responsio ad quaestionem, quae adhuc saepe proponitur ac defenditur, haec est : Tota essentia sacrificii Missae consistit in consecratione praecise quatenus repraesentativa passionis Christi. Essentia sacrificii eucharistici posita est in immolatione symbolica seu mystica, prout Christus, semel cruento in Cruce immolatus, per species separatas sacramentales ponitur in externo habitu immolationis, ac si sanguis eius esset realiter a corpore separatus, ergo in quantum per consecrationem Christus ponitur in externo habitu separationis corporis a sanguine.

Haec solutio proponitur a multis, sed minime exhauriuntur conatus, ut, tali explicatione data, veritas ac realitas sacrificii et immolationis probetur. Periculum namque est ne sacrificium hoc modo intellectum remaneat fictivum ac imaginarium. Facile est dicere talem explicationem non sistere in significatione tantum, sed difficile est monstrare veram ac propriam causalitatem sacrificalem et immolativam talis consecrationis. Utrum sufficienter tali explicatione salvetur realismus sacrificii Missae ?

Dubitant multi. Immolatio enim mystica includere videtur solum causalitatem intentionalem sacrificativam et immolativam, dum requiritur vera, realis ac propria. Ut verum et proprie dictum sacrificium veraque sed incruenta immolatio in Missa verificetur, ad plura elementa constitutiva attendatur oportet, nempe ad reproductionem victimae per consecrationem, insuper ad renovationem actus deditionis animae Christi erga Patrem et amoris erga animas, ac tandem ad significationem sacramentalem per duplicem consecrationem panis et vini ³.

³ Scribebat M. CORDOVANI OP, Ang. 8 (1931) 547 : « Immolatio incruenta quae habetur in Missa, quaeque asseritur a Concilio Tridentino et necessaria videtur ad rationem veri et proprie dicti sacrificii, in tribus consistit : 1. in reproductione victimae per consecrationem ; 2. in renovatione illius actus deditionis quo Christus, flagrans amore in Patrem et in animas, acceptavit mortem, et elegit manere nobiscum sub specie mortis ; 3. in significatione sacramentali immolationis cruentae, quae significatio habetur in duplici consecratione panis et vini. » Essentia igitur sacrificii Missae consistit in consecratione quatenus reproductiva, renovativa et significativa.

Simili modo A. PIOLANTI, Divinitas 3 (1959) 717, 719, 721, loquitur de tribus elementis essentialibus constituentibus sacrificium Calvarii, quae etiam in sacrificio eucharistico distingui debent, prout nempe victima fit praesens vere ac realiter in identitate absoluta et ontologica ; oblatio fit eodem actu perenniter praesenti in aeternitate, ergo identitate psychologica ; tandem eadem realis significatio in ordine mystico sacramentali. Tota ratio sacrificii consisteret in hoc, quod consecratio reproducit sacramentaliter sacrificium Crucis.

Inter haec varia elementa quaerimus cui competit prioritas secundum nostrum

Omnino igitur necessarium videtur maiori cum realismo quaestionem tractare. Assumentes haec tria elementa et considerantes consecrationem ut conversivam – rennovativam – significativam seu repraesentativam, iure quaerimus quodnam ex illis a nobis intelligitur ut radix, ut constituens verum ac reale sacrificium. Consideratur ergo consecratio sub illa speciali ratione, qua causalitatem sacrificativam et immolativam habet, ne claudamur intra rationem signi seu puri symboli. Magis praecise : utrum consecratio, quatenus vi verborum convertit totam substantiam panis in corpus Christi et totam substantiam vini in sanguinem, et sic in externu habitu faciat separationem et repraesentet mortem, sufficienter salvet veritatem ac realitatem sacrificii et immolationis ?

1. *Notio sacrificii* : Iam in initio fateri debemus vel ipsam multiplicitatem opinionum quoad constitutum formale consecrationis qua sacrificialis ostendere, solutiones non satisfacere. Sunt theologi qui dicunt, theologos usque nunc inutiliter laborasse necnon errores commisisse in ipsa methodo quaerendae definitionis ipsius sacrificii. Error autem consisteret in hoc, quod theologi ad definitionem sacrificii in genere pervenire voluerunt analysi subiiciendo sacrificia pagana et sacrificia Veteris Testamenti, dum tamen sacrificium Missae est omnino singulare sacrificium ⁴.

Hic error methodicus effectus parvos produxit, nam prioritas data fuit destructioni cruentae, quae immolatio auditur. Difficultas nata est in invenienda ratione sacrificii in actione cultuali, quae est ex natura sua incruenta. Defectu sanguinis veri, qui cruentam immolationem faceret, theologi ad destructionem virtualement confugerunt seu deteriorem conditionem Christi requirebant. Christus tamen impassibilis et gloriosus existens mutationem nullam pati potest, unde ex dicto errore periculum exurgit, ut sacrificium maneat pure fictivum seu vero sensu imaginarium.

S. Thomas concipit sacrificium ut actum externum, cultualement, virtutis religionis, quo homo absolutum Dei dominium supra omnes res agnoscit et suam subiectionem erga Deum exprimit. De ratione sacrificii autem non est mors seu destructio, sed requiritur solum, ut circa rem oblatam *aliquid fiat* ⁵. Realismus ergo requirit, ut circa rem oblatam immutatio aliqua fiat, at qualis immutatio ? Hoc dependet a subiecta materia. Ex quo apparet definitionem sacrificii esse analogicam, et conve-

modum intelligendi, nam et in ipso sacrificio Crucis inveniatur oportet elementum essentialiale, formaliter constitutum.

⁴ A. M. ROGUET, in : *Initiation théologique*, t. IV (1954) 535.

⁵ S. Thomas : II-II, q. 85, a. 3 ad 3 ; q. 86, a. 1.

nire posse tum sacrificio in quo animalia occidebantur, comburebantur, tum oblationi panis qui frangebatur, benedicebatur vel comedebatur. Sola igitur benedictio rei, qua res a communi usu separatur, sufficit, ut dicatur circa rem aliquid fieri.

Veritas igitur ac realitas sacrificii aliter et aliter quaerenda est. In rebus animatis veritas ac realitas sacrificii quaeritur in occisione, sicut Agnus Paschalis et ipse Christus occidi potuit, quia erat passibilis et mortalis ; veritas et realitas sacrificii in actionibus verificatur in aliqua actione sacra, visibili, externa, qua supremum dominium Dei agnoscitur et dependentia hominis ostenditur ; veritas et realitas sacrificii in iis, quae consistunt in patiendo, invenitur secundum actionem interiorem, puta quod patiens sponte offerat Deo suum pati, sic et Christus fecit sacrum actione interiori, dum occisores sacrilegium seu profanationem sacrificii peregerunt externo modo Christum occidentes ⁶.

2. *Quid in sacrificio formale?* Sine dubio sacrificium est actus religionis externus. Sub hoc respectu constet oportet signis visibilibus sive rebus sive actionibus. Hoc videntes alii homines mente ad Deum ascendere invitantur. Offerendo res vel actiones Deo, destruendo res, puta animalia, vel effundendo, puta vinum, significatur donum suiipsius Deo. Nequit ergo existere sacrificium sine elemento visibili. Ex hac parte pertinet ad cultum publicum et apparet nobis ut aliquid rituale, caeremoniale, externum, liturgicum.

Elementum externum non constituit illud formale et essenziale elementum in sacrificio. Sicut anima est forma corporis et non e converso, ita essenziale et formale sacrificii ad intra ponitur, id est totus valor oblationis sacrificialis visibilis consistit in hoc, ut exprimat oblationem interiorem. Externi actus religionis ab interioribus exordium sumunt et ad illos ordinari debent. Actus interni deditiois, oboedientiae, caritatis etc. sunt quid primarium, essenziale, actus externi et visibiles sunt quid materiale et secundarium ac subordinatum actibus interioribus, sine quibus actus externi sunt sicut corpus sine anima. Signanter dicit S. Thomas : « Significat autem sacrificium, quod effertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo anima seipsam offert Deo » ⁷.

Conceditur igitur quod sacrificium, prout est actus cultus externi, oportet sit visibile, quod aliquibus ritibus persolvatur, quod signis visibilibus constet, sed elementum essenziale, formale et primarium est intra,

⁶ CAIETANUS : in III P., q. 48, a. 3.

⁷ S. THOMAS : II-II, q. 85, a. 2, et 3 ad 2 ; III P., q. 22, a. 2.

sine quo totum quod externe agitur caret anima, valore, dignitate et reducitur ad purum formalismum.

Si ita valor sacrificii ad intra primario refertur et referri debeat, hoc multo magis dicendum de illo sacrificio, quod consistit in actione seu in actu, adhuc plus de illo quod consistit in patiendo, nam in talibus sacrificiis totum quod extra geritur, rationem signi seu symboli transcendere vix potest. Quis auderet dicere essentiam seu constitutivum formale sacrificii vitae, quod in votis religiosis Deo offertur, in signis exterioribus seu caeremoniis professionis consistere ?

3. *Sacrificia Antiqui Testamenti*: Considerantes sacrificia Veteris Testamenti relate ad Deum, valorem eorum secundum actus interiores iudicare debemus, unde S. Thomas dicit illa accepta fuisse ex devotione eorum, qui illa offerebant⁸. Pariter: « Antiqui Patres habebant fidem de passione Christi futura, quae secundum quod erat in apprehensione animae poterat iustificare⁹. »

Haec autem sacrificia in se non habebant nisi valorem imaginis seu repraesentationis veri sacrificii Christi. Merentur tamen nomen sacrificii ? Solent imagines appellari nominibus rerum quarum imagines sunt, ergo ad modum imaginis, symboli vel repraesentationis « poterat dici Christum immolari etiam in figuris Veteris Testamenti », ut ait S. Thomas¹⁰. Essentia igitur sacrificiorum V. Testamenti consistebat in hoc, quod erant signa, figurae, repraesentationes futuri veri et proprii sacrificii Christi, et talis erat praesertim agnus pascalis.

4. *Sacrificium Novi Testamenti*: Christus sacrificia Veteris Testamenti ut imagines et umbras considerare non omisit. Illa non iustificabant nec sanctificabant homines coram Deo. Christus ut fundator Novi Testamenti monet rationes signorum transcendere, externos ritus interna devotione vivificare, internos animae actus primo in loco ponere, alioquin ritus externus remanet forma sine re contenta, arbor sine fructibus. En principium: « Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare » (Jo. 4, 24). Actiones sacrificiales V. Testamenti erant externae, carnales, et Christo non placebant nisi secundum quod erant figurae verae victimae et veri sacrificii.

Adventu Christi valor sacrificiorum transfertur ad intra. Loco materialium rerum quae prius offerebantur, Christus in ingressu in hunc mundum dicit in capite libri, id est in summo praedestinationis decreto scrip-

⁸ III, q. 83, 4 ad 8.

⁹ III, q. 62, a. 6 ad 1.

¹⁰ III, q. 83, a. 1.

tum esse tamquam quid principale, ut ex oboedientia erga Patrem unicum sacrificium offerat (Hebr. 10). In hac voluntate inclusa invenitur salus hominum. Haec voluntas seu oboedientia continet radicem principalem, elementum essenziale in hoc novo et unico sacrificio.

5. *Sacrificium Coenae*: Discipulis congregatis Christus corpus suum tradit in cibum, sanguinem in potum, et quidem corpus tradidit inter coenam, sanguinem dedit expresse post coenam, quia « sanguis Christi in sacramento directe repraesentat passionem, per quam est effusus, et per quam sunt terminata omnia legalia »¹¹.

Optime concludit S. Gregorius Nyssenus loquens de arcano sacrificii genere: « Qui ergo corpus discipulis tradit in cibum, aperte declarat figura agni sacrificium iam esse perfectum... Iam arcana et invisibili ratione corpus erat immolatum, ut ipsius mysterium peragentis potestati placuerat. »¹² Agnus comedi non potest nisi mactatio praecedat.

Quid ex hoc simplici facto simplicibus verbis expresso concludere licet? Christus ipse, per seipsum, passibilis et mortalis existens, obtulit seipsum Patri, sed in specie aliena, referendo hoc ad mortem futuram et hanc oblationem immolativam peregit invisibili modo, interne, ita, ut quando dedit discipulis corpus ad edendum et sanguinem ad bibendum, iam sacrificium aderat, iam mactatio transiit. Non ergo videtur quaerenda essentia talis sacrificii in speciebus nec in earum significatione, nam repraesentatio sufficiens et directa per solum sanguinem fiebat. Constitutivum formale sacrificii iam perfectum est interna oblatione Christi, cuius ritus et signa visibilia apparebant etiam ad extra.

6. *Sacrificium Crucis*: Nemo negare potest passionem et mortem Christi secundum genus ipsius operis repraesentare actionem seu factum, cui competunt effectus quos praecedentia merita non habuerunt. Non ergo minuendus valor, sed maxime extollendus valor actualis separationis corporis ab anima, id est mortis Christi in cruce.

Haec tamen separatio corporis et animae nec omnino necessaria nec essentialis dicenda est. Non quidem omnino necessaria est, immo minus necessaria dicenda est quam ipsa incarnatio, quia Deus, per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare. Nec essentialis dicenda est, nam mors Christi ut talis, ut separatio corporis et animae, principium habet ab extra, unde in quantum huiusmodi neque meritoria dicenda est, sed est occisorum maleficium. Neque

¹¹ S. THOMAS: in ep. I ad Cor., c. 11, lect. 6.

¹² S. GREGORIUS NYSSENUS: Orationes, MG 46, 612.

haec separatio hostiam, quae Christus est, sanctificavit, sed sanctificatio proveniebat ex priori seu antiqua caritate et ex gratia unionis¹³.

Ubi ergo invenitur essenziale elementum huius sacrificii? Essentiale ac formale elementum huius sacrificii consistebat in hoc, quod Christus voluntarie sustinuit mortem, voluntarie se obtulit in honorem Dei pro animarum salute, noluit repellere a se nocumentum, sed permittere ut morti succumbat. Sic, quando S. Thomas assignat rationem ob quam sacrificium Christi habet rationem veri sacrificii, dicit, quia oblatum « ex caritate » et pariter « ex oboedientia », consequenter ob eandem rationem tale sacrificium hostiae rationem habet¹⁴.

7. *Supra tempora et loca*: Virtus hostiae oblatae, Christi, decursu temporis valorem suum nec perdidit nec potest perdere, sed manet in aeternum. Haec perpetuitas virtutis manifestatur in applicatione meritum, quae passio Christi produxit in mundo pro animabus hominum. Passio physice inspecta transiit, virtute tamen perpetua est, et ab Ecclesia participatur secundum ordinem sacramentalem. Continuo igitur hoc sacrificium virtute sua operatur, nam Christus Deiformem vitam vivit, et virtus divina attingit omnia loca et tempora. Contactus virtutis sufficit ad explicandam efficientiam Christi relate ad spiritualium bonorum largitionem, quae mortalibus largiuntur¹⁵.

Christus pariter sempiternum habet sacerdotium (Hebr. 7, 24), nam sacerdos et hostia existens, morti amplius non subiicietur (Rom. 6, 10). Officium sacerdotis non recusavit, sed officio sacrificali semper manet addictus. Quomodo autem hoc officium adimplet? Meritorie et efficienter, exercendo potestatem excellentiae, operatur in sacramentis in quantum meritum et virtus passionis eius operatur in sacramentis. Insuper Christus interpellat pro nobis « humanitatem suam, quam pro nobis assumpsit, repraesentando. Item sanctissimae animae suae desiderium, quod de salute nostra habuit exprimendo »¹⁶. Haec durant in perpetuum, quia ex aeternitate Verbi Patris redundat aeternitas in corpus Christi, qui exurgens ex mortuis iam non moritur.

Voluntas Christi transit et pervadit omnia tempora. In ultima coena permissionem dedit et praeceptum, ut sacrificium offeratur et quidem nomine ac virtute ipsius. In omni sacrificii oblatione aderit ipse ut principalis agens, ut minister principalis, qui actuali ordinatione et actu

¹³ S. THOMAS, III, q. 48, a. 1 et 2; q. 22, a. 2 ad 3.

¹⁴ III, q. 48, a. 3; q. 22, a. 2 ad 2.

¹⁵ III, q. 22, a. 5 ad 2; q. 50, a. 1.

¹⁶ S. THOMAS: in ep. ad Hebr. 7, 25, lect. 4.

voluntatis seipsum hostiam in odorem suavitatis sacrificabit (Eph. 5, 2). Aeternum sacerdotium aeternum valorem communicat mortalibus, et una actio simul aeternitatem ac tempus coniungit. Humanitas Christi ut instrumentum transfert virtutem salutiferam a divinitate Christi in ipsa sacramenta, quorum susceptione virtus passionis Christi nobis quodammodo copulatur¹⁷.

8. *Unitas substantialis sacrificii crucis et altaris quid docet?* — Sacrificium crucis ac altaris substantialiter sunt unum sacrificium. Offerens principalis est idem, res oblata eadem, fructus iidem. Sacrificium altaris relatione transcendentali refertur ad illud crucis, cui subordinatur et a quo valorem recipit. Dicere possumus sacrificium altaris se habere ad illud crucis ut signum ad rem, ut species aliena ad speciem propriam, non facit novam immolationem, sed est unius cruentae immolationis incruenta renovatio. Modus seu ritus offerendi non est igitur idem, sed modus et ritus sunt quid potius secundarium, per consequens simpliciter dicendum cum S. Thoma : « Sacrificium quod quotidie in Ecclesia offertur, non est aliud a sacrificio quod ipse Christus obtulit, sed eius commemoratio. »¹⁸

Cum igitur sacrificium crucis et altaris simpliciter unum sacrificium existant, formale constitutum in utroque ex eodem capite repeti debet. Forma essentialis sacrificii crucis non consistebat in separatione animae a corpore, sed in actibus internis devotionis, caritatis et oboedientiae Christi erga Patrem. Separatio corporis ab anima fuit demonstrativum seu manifestativum horum actuum interiorum. Legitime videtur concludere, quisquis renuit quaerere formale constitutum sacrificii altaris in separatione mystica, quae sub diversis rebus consecratis apparet. Potius igitur, nomine huius unitatis utriusque sacrificii, in renovatione eorundem actuum interiorum essentialiter consistere debet in *agere* interne, cum de pati externe de Christo amplius loqui non liceat¹⁹. Caeteroquin nihil aliud obiecta quae videntur ante consecrationem et post consecrationem prae se ferrunt, nam panis et vinum ex natura sua sunt separati nec in illis, respective in illis ac in illorum speciebus, post consecrationem, modificatio aliqua apparet. Inde videtur quaerere essen-

¹⁷ III, q. 62, a. 5.

¹⁸ Ib. q. 22, a. 3 ad 2.

¹⁹ Nihilominus hoc sacrificium ab aliis religionis actibus distinguitur toto elemento visibili : materia, forma et ritu. Quid amplius quaerendum ?

tiam immolationis sacrificii altaris in eorum statu nihil aliud esse quam concipere sacrificium ut statum, dum revera est actus, et extra ambitum symboli non exire, sed minimismo quodam contentum esse.

Ob eamdem rationem insufficiens omnino censetur opinio, quae essentiam sacrificii altaris petit in eo, quod Christus ponitur in externo habitu immolationis per species separatas, ac si sanguis esset realiter a corpore separatus. Talis opinio mutuatur conceptum sacrificii cruenti et applicat eum ad sacrificium, quod *actu*, non in statu, consistere debet. Nihil externi essentiam sacrificii altaris constituere potest. Quid de hoc externo habitu immolationis apparet? Nihil, nam sensus ante consecrationem et post consecrationem idem obiectum referre deberent, id est externus habitus ante et post consecrationem idem perseverat. Essentia sacrificii veri ac realis nequit consistere in aliquo intentionali, prout cuique dictat sensus veri realismi.

Item non sufficientem responsionem dare videntur, qui in sacrificio altaris invenire putant aliquem « statum declivorem », prout Christus datur ad modum cibi, potus vel huius generis. Quomodo essentia sacrificii reponi potest in speciebus quae non sunt species ipsius Hostiae, quae immolatur, sed species alienae? Christus nihil ab exteriori pati potest. Comparando corpus Christi sub speciebus panis cum illo corpore quod cruento passum est, dicit S. Caesarius Nazianzenus: « Et hoc quidem erectum, artibus compositum, incedendi vim habens et agendi; illud autem rotundum, non articulatum, inanimatum, exsanguis, immobile, neque alteri simile, non ei qui cernitur et invisibilis est divinitate. »²⁰ Christus in eucharistia invenitur insensibiliter et invisibiliter, unde aliud est dicere separatam positionem specierum valde expresse *significare*, aliud autem talem separatam positionem *constituere* ipsam essentiam sacrificii et immolationis. Non externus habitus hominis est homo, nec imago hominis est homo, sed veri hominis imago seu representatio, quae hominis essentiam non constituit.

9. *Efficientia consecrationis idem suadet*: In hoc insistimus: formale constitutum sacrificii Missae seu ratio ob quam consecratio rationem sacrificii habet, non potest primario nec essentialiter repeti ex parte specierum panis et vini.

Verum est panem sine vino consecrare non licere, tamen utrumque per se habet suam perfectionem ita, ut finita consecratione panis iam est sacrificium peractum, iam res significata adest, iam totus Christus

²⁰ S. CAESARIUS NAZIANZENUS: Dialogi, MG 38, 1132.

est praesens. Sub specie panis ex reali concomitantia adest quoque anima Christi, quae realiter est ipsi corpori coniuncta, unde triduo mortis anima non fuisset si aliquis Apostolorum consecravisset corpus Christi ²¹. Item sub specie panis ex reali concomitantia invenitur pariter sanguis Christi, quia non est ab eius corpore separatus, ergo sub utraque specie est totus Christus.

Ex hoc realismo docemur, cur prolatis verbis consecrationis panis, ex ritu Ecclesiae genuflexione oportet adorare. Item ratio obvia est, cur, si sacerdos moreretur antequam consecraret vinum, in hostia consecrata adesset corpus et sanguis. Pariter christi fideles communicantes sub una specie totum Christum sumere fide tenendum est.

Dicimus quidem et nos duplicem consecrationem melius et perfectius repraesentare passionem Christi, immo dicere possumus quod « non potuit melius significare quam sic, ut significetur sanguis ut effusus et separatus a corpore » ²², at nec imago nec signum nec symbolum nec repraesentatio constituere possunt veritatem sacrificii et immolationis, sed sacrificium iam supponunt constitutum, ergo non constituunt.

Nec ista successiva consecratio est nimis urgenda, nam primo dici potest solum sanguinem directe repraesentare passionem, per quam est effusus, et per quam sunt terminata omnia legalia ²³; secundo, Ecclesia, ubi potuit, et alia significantia passionem Christi statuit, ita fractio hostiae significat divisionem corporis Christi, quae facta est in passione, et trina crucesignatio repraesentat extensionem corporis et effusionem sanguinis et fructus passionis ²⁴; tertio, hoc signum separationis corporis a sanguine per duplicem consecrationem nonnisi indirectum signum existere potest, nam solum panis et vinum videntur, pro quibus naturale est divisim seu separatim apparere; quarto, si significationem duplicis consecrationis directam quaerere volumus, procul dubio eas potius refec-tionem totalem quam sacrificium significantes inveniremus ²⁵.

²¹ S. THOMAS, III, q. 78, a. 6 ad 2; q. 83, a. 4.

²² Id., in Math., c. 26, num. 4.

²³ Id., in ep. I ad Cor., c. XI, lect. 6.

²⁴ III, q. 83, a. 3 ad 7; a. 5 c et ad 7.

²⁵ A. M. ROGUET, Initiation théol. IV, 534, scribit de argumento, quod ex successiva panis et vini consecratione concludit ad sacramentalem separatam positionem corporis et sanguinis Christi: « doit être manié avec discrétion. La consécration successive peut sans doute signifier la présence du Christ immolé. Peut-on dire qu'elle la produise, sans céder à une majoration de l'argument et à un glissement qui mène tout droit aux théories inadmissibles d'un 'glaive de la parole' qui immolerait le Christ? » Haec idea « vox-gladium » invenitur v. gr. apud S. GREGORIUM NAZIANZENUM, ep. ad Amphilo-chium, MG 37, 280, qui scribit: « Ne cuncteris et orare et lega-

10. *Intentio necessaria in sacerdote*: Considerando miraculosam conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi S. Thomas scribit: « Minister in perfectione huius sacramenti nihil agit nisi quod profert verba Christi. »²⁶ Sacerdos enim agit nomine, persona et virtute ac mandato Christi, ex cuius persona verba profert, ex quo verba virtutem consequuntur, a quo potestatem offerendi in Ecclesia sacrificium accepit et cui pro suo officio respondere debet.

Sacerdos ergo est solum minister secundarius, cuius actio ab actione Christi, pervadentis omnia tempora et loca, separari nequit. Ut salvari possit haec causalitas universalis ac perpetua sacerdotis Christi, necesse est dicere Christum in qualibet Missae oblatione causam principalis sacerdotis agere et quidem actualiter intendendo quamlibet consecrationem²⁷.

Sacerdotis tamen activitas non excludenda est, sed tota Christo subordinanda. Sacerdos ut instrumentum non perficeret actionem instrumentalem nisi exercendo actionem propriam. Oportet ergo ante omnia sacerdotem velle uti potestate sibi tradita offerendi in Ecclesia sacrificium tam pro vivis quam pro mortuis. Haec voluntas realisatur in intentione, quae est ut vis quaedam, clamor vehemens. Sine hac deliberata voluntate conficiendi sacramentum hoc invalidum evadit. Et adsit portet saltem intentio virtualis et implicita, determinata ad certam materiam, nam panis et vinum possent significare solum refectionem corporalem, et intentio sacerdotis est illa vis, quae panem et vinum ad unam significationem sacramentalem ligat. Qui sacramentum absque intentione peragere vellet, simularet seu irrideret sacramentum ipsum.

Ex hoc iam constat, essentialem conditionem pro veritate sacrificii expectandam esse ab intra, ab interno actu sacerdotis, nam praesente intentione eiusdem sacerdotis alia adsunt, eo absente nec specierum nec verborum nec rituum ullus est sensus. Si igitur actus interni animae Christi praestiterunt id quod erat formale ac essenziale in sacrificio crucis, omnino incongruum videtur, ut sacerdos formale ac essenziale elemen-

tione fungi pro nobis, quando verbo Verbum attraxeris, quando incruenta sectione secaveris corpus et sanguinem dominicum, vocem adhibens pro gladio. »

²⁶ S. THOMAS: III, q. 78, a. 1.

²⁷ Scribit R. GARRIGOU-LAGRANGE OP: La synthèse thomiste (Paris 1950), 401: « Selon saint Thomas et ses disciples, ce serait diminuer l'influence du Christ », dicere Christum solum virtualiter quamlibet Missam offerre, nam « en réalité, il offre *actuellement* chaque Messe comme prêtre principal; si le ministre, quelque peu distrait en cette minute, n'a plus qu'une intention virtuelle. le Christ, prêtre principal distrait en cette minute, n'a plus qu'une intention virtuelle, le Christ, prêtre principal, veut *actuellement* cette consécration et cette transsubstantiation ».

tum in aliquo externo ponat, nam ritus est potius quid secundarium et species panis et vini sunt alienae, non Christi.

Consecratio fit in instanti, non expectat temporis successionem, sed prolatione verborum terminata totum perfectum censetur. Possumus tamen ratione distinguere ita ut virtus infinita in consecratione primo conversione panis et vini faciat Christum praesentem, deinde merita offerantur Patri, tandem a Patre per Christum applicentur fructus et homines participes sacrificii efficiantur.

Debita intentio censetur adesse si omnes conditiones ad sacrificium offerendum iuxta ritum Ecclesiae adsunt. Hac intentione praesente elementum visibile pariter sufficienter adest. Visibilis sacerdos, visibilis materia et forma, visibilis ritus, et totum hoc visibile, praesertim separatae species, possunt quidem apte repraesentare passionem et mortem Christi, at actus interni Christi et sacerdotis proferentis verba sacrificium perfectum reddunt, sacrificiique merita animabus applicata easdem salvant.

11. *Christi et sacerdotis una actio*: Principalis agentis et instrumenti una est actio, fert axioma. Non ergo ita urgenda actio Christi, ut penitus inutilis evadat actio sacerdotis proferentis verba, nec ita extollenda actio hominis-sacerdotis, ut evacuetur mirabilis actio Christi.

Actio sacerdotis habet suam partem in producendo valore latreutico, eucharistico, propitiatorio et impetratorio sacrificii Missae. Insuper valor actionis sacerdotis sumitur ex hoc quod effectus aliquo modo diversus est secundum dignitatem et dispositionem ipsius sacerdotis. – Pariter sacerdotis est fructum specialem vel ministerialem applicare pro suo arbitrio. In tota igitur actione sacrificali communicat etiam sacerdos, suo utique modo. Aliquo modo ab ipso sacerdote totum dicendum est dependere, prout ab eius voluntate dependet oblatio et immolatio victimae, nam intentio sacrificium peragendi illudque in honorem Dei offerendi in manu consilii eius est posita.

Haec unitas actionis sacrificialis prout procedit a ministro principali, Christo, et secundo, sacerdote, optimo qui videtur modo explicatur a thomismo per doctrinam de subordinatione causae secundae causalitati causae primae tum in ordine naturae tum in ordine gratiae. Si namque actio Dei et sacerdotis conciperetur ut univoca vel si actio Dei praecederet illam sacerdotis vel solum extrinsece se haberet unitas actionis et effectus non faciliter explicaretur, at in causalitate analogica, intrinseca, tempore eadem, facilius intelligitur eundem actum et effectum procedere ab utraque causa diverso tamen modo.

Quia ergo idem offerens-Christus, eadem hostia, eadem actio, omnino necessario servanda est unitas in diiudicando elemento formali constitutivo sacrificii Missae. Hoc elementum formale repetitur ab intra, est enim actus internus renovativus oblationis eiusdem victimae, incruento modo, ex iisdem moventibus : deditiois Patri et amoris erga animas, quod externe visibiliter apparet in visibili materia et forma, visibili sacerdote, et per separatim positas species optime mortem Christi manifestat seu exprimit.

Consecratio igitur non habet vim sacrificalem et immolativam primo ac formaliter per hoc quod est successiva seu separata pro pane et vino, nam haec sunt species alienae non Christi, sed primario et formaliter in eo quod est conversiva et renovativa, dum in consecratione significativa per duplicem consecrationem dicere possumus inveniri solum elementum caeremoniale, rituale, externum, materiale.

Positae ergo quaestioni initio articuli respondere possumus dicendo, pro immolatione incruenta quae in Missa habetur requiri quidem tum vim seu valorem reproductivum victimae, tum renovationem illius actus deditiois Patri et saluti animarum, tum significativum per duplicem consecrationem panis et vini, hoc tamen ultimum elementum supponere iam sacrificium et immolationem perfectam, ideoque eius rationem formalem reddere non posse, quia « quidquid consequitur ad esse perfectum, non est constitutum ipsius rei », uti audivimus ex S. Thoma²⁸.

12. *S. Thomae doctrina* : Secundum terminologiam S. Thomae quaerere debemus : quid facit ut sacrificium altaris sit verum, non solum apparens, proprium, non solum metaphorice dictum sacrificium ? Quid facit ut immolatio in Missa sit vera immolatio, quamvis incruenta, vera inquam, non solum verae immolationis signum ? Vera immolatio, quae non solum repraesentat, sed valorem immolationis peractae realem et praesentem reddit ? Qua ratione seu sub quo respectu formali consecratio est sacrificialis et immolativa ?

A. *Non sufficit consecratio qua repraesentativa* mortis Christi per separatam positionem corporis et animae sub speciebus panis et vini. Haec separata positio sine dubio commemorat, est figura et exem-

²⁸ M. CORDOVANI OP, art. cit. 547, insufficientem aestimat definitionem Missae ut sacrificii datam a fautoribus immolationis mysticae, quae in separatione sacramentali corporis et sanguinis sub speciebus eucharisticis fundaretur et definit Missam per consecrationem reproductivam-renovativam et significativam, at nobis videtur necessarium esse non in eodem gradu ponere ultimum elementum cum duobus primis sed prioritatem dare elemento reproductivo-renovativo.

plum, est imago repraesentativa, rememorativa, memorialis, est etiam directe repraesentativa, est signum etc. ²⁹, prout saepissime in S. Thoma termini occurrunt.

Verumtamen supradicti termini non exprimunt formale constitutum seu veritatem ac realitatem consecrationis qua sacrificialis et immolativae. Omnes isti termini rationem signi non excedunt. « Signum » facit aliud in mentem venire ; « imago » ducit ad exemplar ; « repraesentatio » ante oculos iterum et iterum ponit ; « memoriale » in mentem revocat, at quaerendum restat per quod ratio signi transeunda est et asserenda formalis ac essentialis ratio causativa et inde constitutiva sacrificii ?! Possumus enim conceptum imaginis vel repraesentationis premere in infinitum, numquam transiet in conceptum rei seu in ipsam rem, sed remanebit signum rei. Repraesentatio potest esse valde vivida, sed ex se non ponit rem extra nos existentem. Imago regis et legatus regis repraesentant regem, sed non in propria specie afferunt.

Aliqui provocant ad textum : « Hoc sacramentum dicitur sacrificium, in quantum repraesentat ipsam passionem Christi ; dicitur autem hostia, in quantum continet ipsum Christum, qui est hostia salutaris » ³⁰, et inde concludunt S. Thomam veritatem sacrificii in Missa reponere in hoc, quod sit in relatione significationis sacrificii crucis ³¹, sed hoc nobis non videtur verum, nam S. Thomas ibidem loquitur incidenter, et pro casu illi sufficiens erat talis notio, quin tamen per hoc voluerit assignare rationem propriam et formalem, quae Missam in ratione veri sacrificii ponit, quod facit directe et expresse III P, q. 83, a. 1. Quantum enim ad rationem imaginis repraesentativae vel significativae, Christus poterat dici etiam in Antiquo Testamento immolatus, nam hoc sacrificium magis expresse figurabant sacrificia legalia, quae cum sanguinis effusione fiebant ³².

Quisque potest videre S. Thomam, quando sacrificium eucharisticum nominat repraesentativum, non adhibere adverbium « verum », sed simpliciter dicere esse imaginem passionis seu sacrificii Crucis. Quando autem idem S. Doctor adhibet adverbium « verum », tunc veritatem sacrificii alio ex capite seu alia ex ratione repetit, ut videbimus statim ³³.

²⁹ S. THOMAS : III, q. 73, a. 5 ; q. 76, a. 2 ad 1 et 2 ; q. 83, a. 1, et a. 2 ad 2 ; 79, 6, etc.

³⁰ III, q. 73, a. 4 ad 3 ; q. 83, a. 1 ad 2, etc.

³¹ Ita PIOLANTI : art. cit. [nota 3] 716 ; ROGUET : Initiation, l. c. [nota 4] 534 ; et alii.

³² III, q. 73, a. 6 ; q. 22, a. 6 ad 2.

³³ Item alii provocant ad encyclicam « Mediator Dei », in qua passim occur-

Dicamus ergo secundum S. Thomam non sufficere ut sacrificium Missae sit imago et repraesentatio, quia sic non differret essentialiter a sacrificiis V. Testamenti, nam quoad talem modum « poterat dici Christus immolari etiam in figuris Veteris Testamenti »³⁴.

B. *Veritas sacrificii Missae ex renovatione actuum internorum.* Apud S. Doctorem possumus invenire loca, in quibus veritatem sacrificii crucis repetit ex actibus internis, unde dicit : « Manifestum est quod passio Christi fuerit *verum* sacrificium »³⁵, quia passionem sustinuit voluntarie et ex caritate passus est. Ergo ad salvandam identitatem ministri principalis et sacrificii dicendum est idem inveniri debere in sacrificio altaris, ubi Christus, ministerio sacerdotis quasi constrictus, renovat novis et numerice distinctis actibus beatæ suae animae actus deditionis Patri et caritatis erga animas, quas applicatione meritorum passionis salvare vult. Sicut ergo *verum* sacrificium crucis repetitur *ab intra*, ita etiam et sacrificium altaris.

C. *Veritas sacrificii Missae ex veritate praesentiae.* Non separanda est ratio sacramenti a ratione sacrificii, nam consecratione fit Christus praesens vere, realiter, substantialiter, at invisibiliter. Et est praesens ipse Christus passus, immolatus, corpus eius pro nobis traditum, sanguis pro nobis effusus. Ex reali praesentia recte infertur reale sacrificium, nam sicut est, ita offertur, ergo si Christus mortuus realiter non esset praesens, neque sacrificium esset reale. Expresse dicit S. Thomas,

runt expressiones uti v. gr. Species separatae tamquam symbolum separationis corporis et animae... Per eas remonstratur Christus in statu victimae... Non est pura et simplex commemoratio, sed verum et proprium sacrificium... Divina Sapiencia adinvenit modum ut manifestetur sacrificium nostri Redemptoris per signa exteriora quae sunt symbola mortis... Species eucharisticae sunt symbola cruentae separationis corporis et sanguinis... Sic memoriale repetitur etc.

Dicendum videtur S. Pontificem quoad naturam metaphysicam sacrificii eucharistici nequaquam voluisse verbum proferre, dum de essentia physica, quae in duplici consecratione consistit, loquitur ut de re ab omnibus admissa. – Idem S. P. Pius XII. loquitur etiam de Missa, prout in illa Christus Sacerdos in aeternum ex amore erga nos renovat et offert sacrificium suiipsius Patri pro peccatorum remissione (Radionuntius diei 13ⁱ oct. 1940, AAS 32 [1940] 422). Item alio loco dicit, Redemptorem nostrum in altari, incruento Calvario renovare in perpetuum sacrificium suiipsius et largiri gratias (Allocutio diei 13ⁱ jun. 1943, AAS 35 [1943] 177 sq.). Termini autem quibus S. Pontifex loquitur de sacrificio altaris ut commemorativo, at vero et proprio sacrificio non dant rationem formalem *ob quam* est verum et proprium sacrificium, quia talis quaestio metaphysica ad scholam potius pertinet et liberae disputationi relinquatur, donec Magisterium Ecclesiae veritatem magis proprie expresserit.

³⁴ Ib. q. 83, a. 1.

³⁵ III, q. 48, a. 3.

sacramentum altaris vocari hostiam, in quantum « *continet* ipsum Christum »³⁶. Christus porro continetur non solum in significatione vel figura vel imagine, sed in rei veritate, pariter offertur in rei veritate, sed invisibiliter. Quia hoc sacrificium est prorsus sui generis, omnino speciale, constitutum eius formale nequit consistere in aliquo visibili neque in symbolo, ergo non in speciebus separatis nec in earum significatione, sed veritas sacrificii repetitur a S. Thoma a veritate et realitate praesentiae, et identitate sacramenti et sacrificii.

D. *Veritas sacrificii Missae ex passionis participatione*. In omni sacrificio Missae « opus nostrae redemptionis exercetur », et quantum ad hoc « *proprium* est huic sacramento quod in eius celebratione Christus immoletur »³⁷. Veritas sacrificii Missae ostenditur ex hoc, quod id quod passio Christi fecit pro toto mundo, hoc sacrificium facit pro hoc vel illo cui applicantur effectus passionis Christi. In hoc sacrificio invenitur meritum salutis, satisfactio pro peccatis, liberatio a daemone, reconciliatio cum Deo etc. Quando veritas eius ostenditur? « Verum Christi sacrificium communicatur fidelibus sub specie panis et vini. »³⁸ Veritas igitur et realitas sacrificii reponitur in hoc, quod vere et realiter animae participes fiunt meritorum passionis Christi.

Concilium Tridentinum loquitur de Christo, qui Ecclesiae suae voluit relinquere visibile sacrificium « quo cruentum illud semel in cruce peragendum *repraesentaretur* eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum *applicaretur* » (Denz. 938). In prima parte huius textus sermo est de repraesentatione, in ultima de applicatione. Huic similis est structura articuli S. Thomae III, q. 83, 1, nam in prima parte eiusdem sermo est de imagine seu repraesentatione, in secunda vero de meritorum passionis applicatione, et quantum ad hanc applicationem dicit: « *Proprium* est huic sacramento quod in eius celebratione Christus immoletur. »

Valde notanda videntur omnia elementa, quae a S. Thoma in hoc articulo assumuntur. Loquitur itaque de « celebratione » huius sacramenti et hanc celebrationem vocat « imaginem repraesentativam passionis Christi » (ad 2^m). Non ergo vult immolationem et crucifixionem fortius urgere, cum tales termini verificentur in immolatione cruenta et

³⁶ III, q. 73, a. 4 ad 3.

³⁷ Ib. q. 83, a. 1

³⁸ Ib. q. 22, a. 6 ad 2.

crucifixione cruenta. – Item insistit in unitate sacrificii crucis et altaris, nec multiplicitas Missarum huic unitati nocet, nam « sicut quod ubique offertur unum est corpus, et non multa corpora, ita et unum sacrificium » (ad 1). – Eidem unitati insistit comparando Christum cum sacerdote in oblatione sacrificii Missae, nam cum minister secundarius in persona et virtute Christi pronuntiat verba et consecrat, « quodammodo idem est sacerdos et hostia » (ad 3).

Omnia, inquam, ista tria elementa videntur maximi momenti in solvenda hac quaestione de essentia metaphysica seu constitutivo formali sacrificii Missae. Theologi videntur saepius sumpsisse terminos, quos mutuarunt ex sacrificiis cruentis, unde libenter loquuntur de destructione, de statu decliviori, de separatione corporis et animae etc., dum separatio est quid pro corpore et anima violentum et pro pane et vino naturale. – Item loquuntur de statu decliviori, puta eo quod corpus Christi reducatur ad statum cibi, sanguis ad statum potus etc., at sacrificium altaris primario est actus non status et « species patiuntur et videntur, non autem ipsum corpus Christi », ut dicit S. Thomas³⁹. – Pariter theologi nimis videntur insistere in visibilitate immolationis, at aliud est quaerere de visibilitate sacrificii, aliud de visibilitate immolationis, nam primum respondet naturae hominis, aliud autem non concordat cum natura huius sacrificii, in quo et invisibilis praesentia et invisibilis immolatio, proinde nec recte essentia quaerenda in aliquo, quod ad visibiliter cruentum sacrificium pertinet. Quoad characterem immolativum in hoc sacrificio externe non nisi imago seu repraesentatio potest asseri (ad 2), at haec repraesentatio, quae convenienter fit per species separatas, iam immolationem invisibilem peractam supponit et non potest constituere essentiam eiusdem. Separata consecratio dicit solum haec: ac *si* esset corpus separatum, sanguis effusus, seu: ac *si* efficeret hanc separationem, quam tamen non efficit, proinde agitur de possibilitate irreali, hypotetica, non reali. Impossibile ergo videtur ponere essentiam seu constitutivum formale Missae in consecratione qua separativa, quia realiter hoc non est, ne exhauriatur veritas ac realitas sacrificii et detrimentum patiatur veritas de unitate sacrificii et sacrificantis.

Conclusio: Pro S. Thoma consecratio qua repraesentativa – separativa non sufficit ut nobis propriam, veram ac realem actionem sacrificalem explicet.

³⁹ III, q. 81, a. 3.

Veritas ac realitas sacrificii et immolationis provenit ex eo, quod in omni oblatione Missae Christus vere et realiter fit praesens per consecrationem conversivam, vere ac realiter renovat actus oboedientiae et deditiois erga Patrem et caritatis erga animas salvandas, ac tandem vere et realiter, quotiescumque et ubicumque hoc sacrificium offertur, merita passionis ad homines applicantur.

Essentia ergo metaphysica seu constitutivum formale, quod Missam vere ac realiter sacrificium facit, est consecratio qua conversiva et renovativa, dum quatenus est separativa terminat in signum, imaginem, repraesentationem, quod proprie ad *modum* offerendi seu *ritum* celebrandi spectat.